



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Psalmi, Sev Precationes D. Ioan. Fisheri Episcopi Roffensis**

**Fisher, John**

**Lvgdvni, 1572**

Psalmvs XV. De Beneficijs Dei, cum gratiarum actione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41688**

educes de laqueo pedes meos.

Ad te. ô Deus sunt vota mea, reddam  
tibi gratiarum actiones, & nunc in secula  
seculorum. Amen.

PSALMVS XV. DE BE-  
*neficijs Dei, cum gratiarum actione.*

**C**ollaudat te anima mea ô Deus, &  
omnia quę intra me sunt nomen tuū  
sanctum.

Gratias tibi agit anima mea, & nun-  
quam tradam obliuioni vniuersa tua be-  
neficia.

Qui propitiaris omnibus meis deli-  
ctis, & sanas omnes infirmitates meas.

Qui redemisti de morte vitam meam,  
ostendens in me gratiam, & misericor-  
diam tuam.

Qui satias bonis desiderium meum,  
& olim restitues iuuentutem meam.

Fecisti mecum misericordiam in omni  
tempore, & vltionem sumpisti de inimi-  
cis meis.

Fuisti mihi ô Domine in munimentū,  
& in partem securam salutis meę.

In consilio tuo dux mihi fuisti, & in  
misericordia tua assumpsisti me.

Multi-

Multiplicasti in me magnitudinem  
iram, & post iram tuam conuersus, con-  
solatus es me.

Ostendisti mihi tribulationes multas &  
malas, sed tandem de profundis abyssis  
eduxisti me.

Notas mihi fecisti vias tuas, non ab-  
scondisti à me consilia tua.

Misericors & plenus es gratia Domi-  
ne Deus, tardus ad iram, & propensus ad  
bonitatem.

Non irasceris in perpetuum, neque in  
eternum retines in ira miserationes tuas

Non reddis nobis iuxta peccata no-  
stra, nec punis nos iuxta iniquitates no-  
stras.

Quantum cælum excelsius est quam  
terra, tantum misericordia tua præualuit  
erga nos.

Quantum distat Oriens ab Occiden-  
te, tam longè semouisti à nobis transgres-  
siones nostras.

Sicut miseretur pater suis liberis, ita  
super nos misertus es Domine Deus no-  
ster.

Non oblitus es plasmatis tui, reconda-  
ris quòd caro sumus omnis homo viuēs.

Quòdque ætas mortalium tanquàm fœnum est, ac instar florum agri se habet.

Quos protinus vt austerior ventus flabris suis vexauerit, nulli sunt, neque loci eorum vltra inueniuntur.

Misericordia autem tua Domine perpetua est super timentes te, & iustitia tua semper perseuerat.

Dummodo seruamus fœdus tuum, & mandatorum tuorum memores sumus, vt ea faciamus.

Domine in cælis thronum tuum firmasti, & imperio tuo vniuersa regis.

Exaltabo te ô Deus, & nomen tuum in æternum laudabo, & in seculum seculi.

Omni tempore gratias tibi agam, & nomen tuum illustre reddam in perpetuum, & si quid vltra est.

Magnus es tu Domine, & supra omnem laudem, & magnitudinis tuæ nulla est peruestigatio.

Generatio ad generationem opera tua dicent, & virtutes tuas antiquas enūciabunt.

Magnificētiam gloriæ sanctitatis tuæ, & memoriam multæ bonitatis tuæ semper laudabunt.

Quo

Quoniã omnibus bonus es tu, & misericordia tua super vniuersa opera tua.

Oculi omnium te expectant, vt des eis cibum suum in tempore.

Aperis manum tuam, & imples omne quod viuit, refectiõne.

Iustus es Domine in omnibus vijs tuis, & sanctus in omnibus operibus tuis.

Custodis omnes te diligentes, & non tanget eos tormentum malitiã.

Laudem tui loquetur os meũ, & omne viuens celebrabit nomen tuum sanctum in perpetuum & semper.

Laudate Dominum, ò vos angeli eius, potentes virtute, faciẽtes iussus eius, obediẽtes voci verbi illius.

Collaudate Deũ vniuersi exercit⁹ eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius.

Magnificate Dominum mecũ, & exaltemus nomen eius in id ipsum.

Laudate Dominũ omnes sancti eius. cuius solius nomẽ sublime est, cuius laus cãlos ac terram superat.

Collaudate Dominum vniuersa opera eius, in omni loco imperij eius. Omne quod viuit laudet te Domine. Amen.

*Finis 15. Psalm. D. Ioan. Epif. Roff.*

F iij